


05

A

1860





L
C
C



Q. D. B. V.
DISSERTATIO JURIDICA
DE

PRIVATIONE
LEGITIMÆ,

QVAM
CONSENSU
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO


GODOFREDO Straussen/

J. U. L.

FAUTORE ATQ' STUDIORUM PRO-
MOTORE AVITERNUM DEVE-
RANDO,
PUBLICÆ DISQVIGATIONI
SUBJICIT

CAROLUS AUGUSTUS von Neishitz/
EQVES MISN.

AD. D. XXXI. DECEMBR.
ANNO cl. lcc. LXVII.



Literis HENCKELIANIS.

Wittenberg



PRIVATIM
LECTIM



05 A 1860

CAROLUS AUGUSTUS BOIT STREIBER
BOIT STREIBER
BOIT STREIBER
BOIT STREIBER





JUVANTE JESU!

Patet Civilis Juris campus latissimè, & dum actionum humanarum varietas & moderamen in eodem obvia ubique sunt, hinc atq; illinc ad manum se dant haud pauca, nec ea quidem proletaria argumenta, quæ vel Juris Naturalis dictamen impugnare penitus, vel eidem non congrua adeò videntur. Unde est, quod Jurisprudencia nostra, & ob hanc ipsi Jcti malè multis audiant, quasi lidem æquitatis normam justo subtilius investigantes ad iniqua non semel abripiantur. Quam in rem longè arcessere initia vel cumulare tædiosè exempla, non vacat in præsens. Veniam in rem ipsam potius, & de qua mihi sumpsi, explicabo statim causam. Nimirum cum Patri fas sit, ex quatuordecim in Nov. 115. cap. 3. relatis causis exheredes scribere filios, dubium suboriri poterat, cum Legitima passim Juris Naturalis venditetur, num salvo quoq; eodem tentare exheredationem ac perficere ipse possit? Quod quidem exputare paulo altius nunc animo sedet. Da DEUS feliciter!

Tb. I.

Intelligimus per Legitimam definitam à Lege quantitatem bonorum, quæ certis personis, atq; pro nostra re substrata, liberis relinqui debent. Præterquam enim quod impenso amore ferantur in suos natos Parentes, iisdem ipsa naturalis lex necessitatem alendi illos imposuit. Prodeunt ex Parentum semine liberi, adeoq; ipsi in se injurii essent, si charissima sua pignora non sustentarent. Quin homicidarum notam turpiter contracturi, si

A 2

eos

eos non subministratis vitæ necessariis perire miserè paterentur, Id quod rationis lumine ductus advertit egregiè Philosophus, dum disertè perhibet, eum, qui vitam dat, etiam ea dare teneri, sine quibus illa subsistere haudquaquam possit. Hinc Comici passim servos, filios dominorum heros minores vocitantes, introducunt. Et Isaacum quoque Dominum suum salutabat Abrahami

a) Vid. Gen. c. 24. v. 65.

servus administrator. a) Non aliâ fini, quàm ut dominium aliquod in bonis Parentum competere liberis, nec vanè quidem, sibi putarent. Id quod congruè Jcti reddidère, liberos vivis adhuc Parentibus quodammodo dominos, & mortuis ipsis, eosdem

b) Vid. §. 2. Inst. de Hered. Qualit. & differ. & l. in suis 12. de Liber. & Postb.

olim jam dominos proclamantes. b) *Tb. II.* Atque illud potentiale, liceat ita loqui, dominium facit, ut moribundos quoque Parentes Liberos meminisse nec excludere eos ab omni hereditate oporteat. Ratio enim naturalis quasi Lex quædam tacita liberis Parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successione eos vocando, propter quod ne

c) L. cum ratio. 7. pr. de Bon. damn.

judicio quidem Parentis, nisi meritis de causis, summoveri ab ea successione possunt. c) Relinqui ergò ex bonis Parentum debere liberis, hætenus Jure Naturæ cautum censetur. Sed cum certam quantitatem per illud determinatam esse adstrui non posset; & verò nimis inhumanum, omni facultate disponendi de bonis suis exuere Parentes, id officii Majestati in Repub. datum censebatur, ut definiret suis Legibus ad certam mensuram, quam præcisè Jus naturæ non assignaverat. Quæ determinatio, cum arbitrii civilis esset, alia Jure antiquo Legitima, alia novo statuta legitur. Sufficiebat enim olim pro Legitima quarta pars totius hereditatis, vel quarta pars portionis ab intestato debite. d) Jure novo v. eadem aucta reperitur, e) atq; pro numero liberorum variat. Quod si ergò quatuor vel infra liberi existunt superstites, Triens ipsis: si quinque vel plures, Semis eisdem ex hereditate paterna relinquendus venit. f)

d.) Vid. L. Papinianus 8. §. 8. de Inoffic. Testam. l. quæ nuper 31. C. eod.

e) In Nov. 18. cap. I.

f) d. Nov. 18.

Tb. III. Nunc verò illud non proletarium dubium surgere inde poterat, num Pater certis casibus privare illa Legitimam queat filium, & si privet, nihil quicquam contra Juris Naturalis scita moliri dicatur? Est quidem hæc quæstio disertè in Nov. 115. cap. 3. decisa, ubi quatuordecim causæ retexuntur, ob quas ex-

here

heredare filios detur Parenti. Interim quia in vasta Legum volumina delatus rationum quoque momenta cernere cupit, ne forte adstruere quicquam incautus censeatur, cui conscientia rectae rationis reclamet ipsa, sine metu inobedientiae in easdem penetrare conabimur. Nimis equidem durum, cum Ulpiano g) asserere ubivis, legem ita scriptam esse. Tum quoque indecorum, ad infelix illud asylum h) convolare, non omnium, quae à Majoribus instituta sunt, rationem reddi posse. Sicut enim in nonnullis casuum speciebus ejusmodi remedia insuper habenda haud sunt: ita ex adverso ignorantiae notam produnt, si temerè & præter necessitatè arcessuntur. Atque ex hinc est, quod usquequaque in rationum pondera descendant Jcti, & ad earum ductum mox producant, mox coarctent legum tenorem. Id quod Jctus in l. 14. de LL. subinde testatur; quando perhibet: quod contra rationem Juris receptum est, non esse ad consequentias trahendum. Quin Celsus in l. 39. eod. omnis Juris indolem ex ipsa ratione haud obscurè meritur.

Tb. IV. Ab initio notandum apprimè venit, intercedere quandam obligationem inter Patrem & filium. Quamvis enim Grotius i) societatem inter eos inaequalem adstruat; tamen exinde, Patrem non ab omni obligationis vinculo pronuntiat immunem. Nam ipse statim subjicit, ex ejusmodi societate oriri justum quoddam, & quidem aliud ejus, qui regit, & qui regitur. Proinde, quod accuratè ad dictum locum Grotii Cl. Bœclerus monet, vi illius justum constare potest, quid in illos societate comprehensos expetat. Quinimò societas communio est k) quae omninò sine mutuo jure, quamvis inaequali, subsistere haud amat. Hinc duo debita inter Patrem & filium esse posse arguit Johan de Dicastillo: m) alterum ratione dominii, quod nanciscatur filius in bona sua post emancipationem, tum quoque in castrensis constante adhuc potestate: alterum verò ratione naturalis generationis inboriri, ob quam Pater debeat nutrire filium, quem genuit. Quibus Rivetus n) superaddit institutionem in fide, religione & bonis moribus; ut & curam, studium & diligentiam, ut in certo vitae statu pro conditione personae collocetur.

g) *inl. prospexit 12. §. 1. qui & à quib. manum. Lib. non fiant.*

h) *in l. 20. de LL.*

i) *de J. Bel. & Pac. lib. I. c. I. n. 3.*

k) *Magnif. Dn. Ziegl. ad d. l. Grotii.*

m) *de J. & J. lib. 2. tract. 1. disp. 2. dub. 21. & seqq.*

n) *in Praelect. plen. in cap. 20. Exod. v. 12. p.*

o) d.l.n.23. &
seqq.

p) 4. Eth. c. 12.

q) 5. Eth. c. 6.

r) Dn. Habn.
ad Wesenb.
tit. de J. & J.
n. 14.

s) Vid. Paul
Laymann.
Theol. Mor.
L. 5. tr. 10. p. 3.
c. 5. n. 8. Job.
de Lugo. de J.
& J. D. 24. Sect.
8. §. 2. n. 262.

Tb. V. Id interim non satis capio, quod de Dicastillo o) serio inculcat, justum, quod est inter Patrem & filium, quatenus Pater & filius sunt, non esse propriè justum, sive, non attendi inter ipsos justitiam aliquam propriam. Hanc enim tantum cerni intet æquales, quorum numero hæcenus filius accenseri haud possit. Imò secundum Aristotelem p) filium esse aliquid Patris, nec tale justum inter eos esse posse, quod sit inter alios Cives? q) sed potius esse aliquid ei simile. Ad aliam virtutem, pietatem nempe, hoc debitum referendum, reductivè verò saltem spectare ad virtutem Justitiæ propriè sic dictæ. Illud enim tantum esse debitum propriè justum Virtutis justitiæ, quod debeatur ratione Juris & facultatis, quæ in altero sit ad aliquid faciendum vel habendum. Illud autem debitum, quo Pater obligetur erga filium ut filius est, non oriri tanquam ex radice aut Jure quod in filio sit contra Patrem; ergò non esse propriè justum. Fieri hinc igitur non posse, ut quis ex Justitia obligetur ratione Juris, quod sub ipsius libera potestate existat, & secundum Aristotelem, iterum non posse ex Justitia Parentem obligari filio, antequam hic è sacris Parentum discedat. Omnia dicta eximie firmari eò, quod filius non sit alter à Patre; non quidem in persona, sed in Jure, h. e. auctoritate aliquid faciendi, quia totum filii Jus sit sub potestate paterna; nullum autem sui ipsius Jure per Justitiam obligari.

Tb. VI. Provenit Justitia à justo, ut toties Justitiæ munus obitum rectè dicatur, quoties justè negotium fuerit peractum; hoc verò tum accidere censetur, quotiescunque Juris norma rectè fuit observata. Justum porrò & æquum cum sit innatum menti humanæ, prius omninò Justitiâ humanâ existit. r) Ubi cunque ergò ex habitu illo instillato vel dictamine rectæ rationis præstari alteri aliquid debet; justum vel maximè propriè dictum habebimus. Nunc vero in confesso ad unum omnes ponunt, post cætera ad alimenta præprimis præstanda liberis obligari Parentes, ut contra Jus Naturale faciat, qui ea denegat. s) Quomodo ergò impropriam Justitiam hic adstruemus? Ipsum equidem Jus Naturale hoc pacto improprietatis notæ arcesseremus, non sine evidenti absurdo.

Tb. VII.

Tb. VII. Inter æquales adhiberi saltem propriam Justitiam, grande postulatū videbatur. Quidni enim & inter inæquales in proprio sensu eadem subsistet? Est Justitia habitus, quo homines justa volunt & agunt. t) Vel, ut Imperator u) constans & perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi. Jam non æqualis tantum vel inferior sua justa exequi tenetur; sed superior etiam, dum cum subjectis sibi res est, illa sanctè observabit, si justī nomen demereri satagat. Tenetur enim eò eniti, ut & subjectis suum Jus tribuat, quod impropriè ipsis deberi, assertu non est tutum. Tentare nempe non ineptè fortean licebit, non minori nexu alligari ad officium suum faciendum superiorem, quam eum qui ex illius nutu & arbitrio dependet. Quamvis enim diversæ debitorum præstationes se dent ad manus, non tamen eadem utriusque præstandi necessitas variat. Ita Princeps & subditi hætenus inæquali vinculo ligantur, quis verò adstruat seriò, inter utrosque non cerni propriè justum? Fluere enim indè spontè, Principem contra officium suum veniendo propriè injustum non esse, etiam si cæde, vi & turbis misceret cuncta & Reipub. ruinam moliretur. Proindè ita statuendum esse existimaverim: Sive consideremus debita inter Patrem & filium extra Jus Civile, sive simul hujus rationem habeamus, utrobique inter utrosque, propria quædam se commendat Justitia. Quemadmodum enim ex vigore Juris Naturalis ad obedientiam & obsequium præstandum Parentibus devincti vivunt liberi x): ita & Parentes ad alendos & educandos liberos eodem Jure tenentur. y) Jam sicut liberi insuper habentes illam reverentiam septa Juris Naturalis transilire & in sensu proprio in justitiam perpetrare dicuntur; ita perindè & Parentes suum officium negligentes contra ejus Juris scita turpiter committunt. Nec injustitiæ notâ se absolvent, quia contra Jus idque naturale peccavere. Ubi verò est transgressio Juris ibi & injustum: ubi injustum, ibi & injustitia, cum omne concretum involvat suū abstractum. Nunc porrò illud Jus, contra quod deliquit Patrens, propriè tale est. Ergò nec aliter ipsa injustitia se poterit habere.

Tb. VIII. Non pigrabimur rem exemplo adumbrare. Faciamus quempiam Parentem, amoris in filium oblitum hunc

t) *Dn. Struv.*
Exerc. I. adff.
th. 15.

u) *in pr. Inst.*
de J. & J.

x) *L. 2. de J. & J.*

y) *l. 1. S. 3. de J. & J. pr. Inst.*
de J. N. G. & C.

eru.

crudelius tractare, alimenta ei subtrahere, ipsum non educare, vel periculosè exponere; tùm verò etsi peccaverit circa suum officium Paternum Parens, dicendum tamen foret, ex Johannis de Dicast. sententia ipsum vel planè non vel levius saltem esse coërcendum, eò quòd propriè non deliquerit. Ubi enim non adest injustitia propriè dicta, ibi nec peccatum propriè tale reperietur. Fac planè furoris œstro perculsum in suos gnatos sævire genitorem, ergone adhuc intra Injustitiæ impropriæ cancellos delictum fuerit, quòd tamen potius circumstantiæ efficiunt atrocius? Tenerem igitur potius, æqvè contra Jus Naturæ, adeoqve ipsum sanctissimum Numen perpetrare nefandum crimen Parentem, qui suum officium deserit audacter, quam filium, qui Parentibus immorigerus eosdem malefactis temerè lacescit.

Tb. IX. Quod si porrò Jus Civile simul trahamus in partes, & ex eo Parentibus incumbentia debita pervadamus, patet ad oculos, ex justitia propria eò obligari Parentes. Ita in adoptionem daturum filium, *consensum filii expiscari tenebatur.* 2) In

2) *L. in ad optionibus 5. de Adopt. & E. manc.*

a) *L. 6. §. 3. C. de Bonqvalib.*

b) *d. L. 6. pr.*

c) *Nov. 115. cap. 3.*

d) *L. 29. ff. de LL.*

e) *Vid. Inst. de qui sui alien. Jur. sunt.*

bonis filiorum castrensibus nihil ipsi Juris, a) in adventitiis saltem usufructum, ne utiqvam dominium sibi vindicare poterant. b) Morituri porrò Parentes liberis Legitimam relinquere tenebantur. c) Quibus omnibus & similibus casibus convolare ad justitiam impropriè dictam, non fuerit congruum. Nec tueri se satis potuerit contra Juris Civilis auctoritatem Pater, impropriè Justitiæ hic allegando: cum quilibet contra Legem faciat, dum id facit, quòd Lex prohibet. d) Qui verò contra Legem perpetrat injustum, quid procul dubio committit. Quin imò inter servos & dominum viguisse aliquam Justitiam propriè dictam Antoninus in suo rescripto e) auctor est, quo contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam defensos vult servos cum hac clausula comminatoria: Quod si mea Constitutioni fraudem fecerit, sciat me hoc admissum adversus se severius executurum. Jam si Legislatores Civiles contra sui auctoritatem abuti suâ potestate nolunt dominos, & refractarios eo nomine coërcent, quòd injustè transgressi fuerint legum præcepta: multò magis id de Parente affirmandû erit, quem naturalis & arctior conjunctio arctius etiam ad officium Paternum adstringit.

Tb. X.

Th. X. Quod ex Philosopho advocatur dictum, filium esse aliquid Patris; id adeò crudè accipiendum non erat; sed ratione potestatis, cui subjacet filius, in suis casibus intelligendum, f) ne utiqvam verò universali pronuntiato asserendum. Hinc non inconcinna Harprehti ad d. pr. n. 3. distinctio videtur inter officia publica: & munera privata, quæ patrimonium aut facultates concernunt. Priori casu filiusfam. loco Patrisfam. habetur: g) posteriori pro una persona ambo censentur. Sed nec iste respectus unitatis ulterius militat, quàm quoties inter filium ac Parentem & extraneos negotium vertitur: h) ita contrahens filius acquirebat Patri, & perinde habebatur, ac si ipse contraxisset. i)

Th. XI. Non displicent, quæ Dn. Vinnius ad §. 3. Inst. per quas person. nob. acquir. n. r. commentatur: *Hujus autem necessaria acquisitionis non alia ratio quærenda est, quàm quæ hic & apud Cajum d. l. (in l. quemadmodum 46. de Jur. Dot.) relata est, nimirum quia ipse servus, qui in alterius potestate est, nihil suum habere potest. Fit ergo hæc acquisitio ipso jure, ratione scil. potestatis, quæ facit, ut ne momento quidem aliquo res subsistere possit in persona ejus, qui in potestate est, & per quem acquiritur; sed protinus & necessario acquiratur ei, qui in potestate habet, dominio vel Patri, (nam & filiusfam. quæ talis huc pertinet) k) quorum etiam vicem in acquirendo servus ac filiusfam. sustinent, & quibus cum hætenus una persona esse finguntur. Quotiescunqve ergò inter Patrem & filium tantum geritur negotium, exulare potius unitatis opinio haud frustra videtur. Quamvis enim inter ipsos non possit iniri obligatio efficaciter & civiliter stringens, l) naturalis tamen exoritur ex contractu inter eosdem inito, quæ nec Jure Civili omni effectu destituitur. m) Quin & ipso Jure Civili civilis quandoque obligatio inter Parentem & filium enascitur, utpote si Contractus initus de Castrensibus aut quasi castrensibus bonis: n) vel etiam adventitiis iis, quæ pleno Jure ad filiumfam. pertinent. o) Unde satis liquet, quod habet Philosophus, filium esse aliquid Patris, saltem secundum quid, ut loqui amant, procedere: tum quoque quandocunq; de debitis Paternis quæritur, aliquid contradistinctum Patri esse: aliàs nullum ejus debitum erga filium fuerit, quod tamen ipse hic Joh. de Dicastillo inculcat. Nunc verò si*

B

obli-

f) *Vid. Vinn. ad Pr. Inst. Quæ test. tut. dar. poss.*

g) *L. filiusfam. 9. de his, qui sui vel alien. Jur. sunt. L. item eorum 6. quod cuiq; univers. nom.*

h) *Vid. L. 17. §. 4. & fin. ut & L. L. seqq. de Pact.*

i) *Vid. Pr. §. 1. J. per quas person. cuique acquir. Habn. ad Wesenb. tit. quod cum eo qui in alien. pot. n. 3. p. m. 912. seqq.*

k) *L. placet 79. de acquir. her. l) l. Actiones 7. de O. & A. L. Pater 15. §. 1. de Pecul. Cast.*

m) *l. Frater à fratre 38. §. 1. 2. de Cond. Indeb.*

n) *d. l. 15. §. 1. l. 2. ad SC. Maced.*

o) *Vid. Nov. 117. cap. 1.*

obligatio propriè talis inter Patrem & filium & quidem tam naturalis, quàm Civilis subsistit, quidni etiam ex principiis Justitiæ propriæ eandem dijudicabimus? Nec enim ad analogiæ suffugium convolare habemus necesse, ubi in propriis terminis nobis persistere datur.

Th. XII. Quando porrò discrimen molitur Joh. de Dicastillo inter Justitiam & Pietatem, asserens disertè, non ad illam, sed hanc potius Paternum debitum respicere; id quidem moneri poterat, pietatem propriè cultum & reverentiam subjectorum erga superiores importare. Qua ratione eam Tullius de Natura Deor: circumscribit justitiam ad versus Deos, quæ religio alias dicatur; quâ sublatâ non possit constare fides humaniqve generis societas. Et in nostro Jure de filiis in Parentes prædicatur pietas. (p) Quo sensu finiri poterat; *debitum à Liberis Parentibus obsequium, debitus honor, debita reverentia & charitas.* (q) Quicquid ejus sit, concedamus tandem, pietatem etiam Parentum in Liberos dici, (r) tamen eadem Justitiæ non erat ita contradistinguenda, ut ideò hæc in improprietatem quandam degeneraret. Nam & omni Virtuti Justitia inest, quin ipsa tota Virtus est. (s) Juxta vulgatum: *Justitia in se virtutes continet omnes.* Hinc præclarè Dominicus Soto (t) docet: *In omni virtute extare obedientiam rationem legi debitam: quicquid autem rationem debiti claudat, Justitiæ formam induere.* Ut adeò non satis congruè sequeretur à pietate ipsa Justitia.

Thes. XIII. Quin imò oratorio potius, quàm morali sensu quadrabit pietatis observatio in filium Parentibus. Exuberantem enim amorem expressuri sæpius Oratores rei ipsius indolem adeò anxie haud scrutantur, quos ipsi Icti sæpius æmulati fuere & imitati. Et enim verò teneriorem, quo in liberos feruntur Parentes involvit pietas affectum, jus ipsum inter eos consistens haud intrat. Quocirca si istud disputemus, dubio procul ad Justitiæ incunabula recurrendum erit. Sicut enim à Jure adigi ad officium quilibet potest, quod spontè facere negligebat: (u) ita in eodem Jure reddendo Justitia omninò ob oculos ponenda erit, & ea quidem in sensu proprio, quia & ejusdem indolis Jus esse censetur. Breviter pietas illa, quam hic urget de Dicastillo spectat

(p) l. In testamento 38. ff. de Fideicom.

Lib.

(q) Vid. l. 15. pr. de Inoff. Testa.

(r) per l. Liberatorum 220. §. 3. de V. S. l. 5. ad L. Pomp. de Parric.

(s) Arist. 5. Eth. c. 1.

(t) de 7. & J. L. 3. qv. 1. Art. 1.

(u) arg. l. 1. §. 1. de J. & J.

ad exercitium potestatis patriæ, eamque moderatur & mitigat; quorsum repeto l. 5. ad L. Pomp. de Parr. quâ dicitur: *Patria potestas magis in pietate, quam atrocitate consistere debet; ea verò non tollit ipsam Justitiam; sed Pater, dum Jus suum exercet, simul piè h. e. ex amore naturali (x) quo esse in filios solent Parentes, exercere ju-* betur. Pietas ergò illa & Justitia mutuas hic quasi sibi porrigunt manus.

(x) Conf.

Francisc. Vivig

L. 2. Dec. 322.

Th. XIV. Dum porrò capitale sui asserti momentum substernit de Dicastillo, subtiliter nimis philosophatur. Supponit nempe, illud tantum esse debitum propriè justum virtutis Justitiæ, sive illam esse Justitiam propriè dictam, & à reliquis virtutibus distinctam, quando quid debeatur ratione Juris & Facultatis, quæ in altero sit ad aliquid faciendum vel habendum. Jam debitum, quo Pater obligetur erga filium, ut talem non oriri tanquam ex radice aut Jure quod in filio sit contra Patrem: ergò nec propriè justum esse. Nimirum id de Dicastillo intendit, quod uti prædicetur Justitia vel justum debitum respectu alterius, ita Jus quoddam sive Facultatem debere competere ei, cui debetur: quam thesin non disputo Auctori. Interim dum ad hypothésin dilapsus negat in filio esse radicatum quoddam Jus, sive quandam facultatem respectu debiti Paterni, nunquam ab ipsius partibus steterim. Ab omni enim Jure alienum est, contendere in Paterna societate filium ad omnis generis honesta obsequia præstanda teneri Parentibus: hos verò erga ipsum omni debito justo propriè dicto esse solutos. Est enim omnis societas congregatio quædam hominum duorum vel plurium boni alicujus consequendi gratiâ. Vel, uti supra, est communio quædam societas. Jam quomodo cõgregatio, quomodo communio obtinere potest, si alteruter in societate respectu alterius nullum planè Jus obtineat? Hinc si filius tantum obligatur ex Justitia Patri, hic illi non, in quonam consistet communio? Fallor, aut Leonina quædam societas inde surget? quam tamen jamdudum quoque detestati Icti sunt (y) *pr. pro Soc. §. 2.* Hinc bene Grotius. (z) Ut autem quis damnum sentiat sine lucro, ideo admittendum non est, quia ita naturalis est societati utilitas communio, ut sine ea nequeat consistere. Sed & ipse Aristoteles (a) diffinit paternam societatem, quod inter Patrem & Filium à natura constituatur. Hæc verò tantam inæqualitatem averfa-

(y) Vid. l. 63.

(z) L. 2. de J. B.

Inst. eod.

(a) 1. Pol. 3.

(a) 1. Pol. 3.

tur, quæ à Justitiæ tramite haud propè absit. Proinde sicut, quod supra jam tenuimus, Patri tenetur ad certa debita præstanda ex Justitia filius: ita & huic ille rursus ad quædam, quamvis præstatione inæqualia, obligatur ex eadem Justitia. Taceo quod Joh. de Dicastillo sententia aperiat tyrannidi fenestras; cum quod de filiis, multo magis de subditis inferri poterit.

Tb. XV. Quod porrò insequitur ex Aristotelis ore, non posse ex Justitia obligari filio Parentem, antequam hic ex Sacris ejus discesserit, id si respectu Juris Civilis explicetur, & ex superioribus dictis limitetur, satis benè se habet. Quod si autem constante potestate obligationem naturalem pernegatam voluerit Philosophus, me non habebit consentientem. Nam & alias in Moralibus non usquequaque ipsi crediderim; ita cum horrore legi consilium quod 7. Pol. c. 16. suppeditat, nimirum ne nimia civium multitudo surgat & regio fortè non sufficiat ad omnes alendos, abortus esse faciendos, antequam fœtus vivat in utero intra quadragessimum scil. post conceptionem diem. (b) Sed verò alibi religiosius longè differit idem Philosophorum Princeps: (c) magis afficitur causa gignens erga genitum, quam genitum erga gignentes. Quod ultimo loco adjicit Joh. de Dicastillo, filium non esse alterum à Patre, dum auctoritas faciendi dependeat tota ex hujus arbitrio: id quidem suo modo largior. Sed non sequitur: Pater habet Jus moderandi actiones filiorum: ergò in iis moderandis non peccare aut filio non rursus obligari potest. Nec ille unitatis respectus perpetuus est, uti supra diduximus.

Tb. XVI. Fixum ergò manet & obstinatum sedet, inter Patrem & Filium justum quoddam vel Justitiam propriè dictam attendi, ut Pater debito Paterno non defunctus æquè injustitiæ vitio se contaminet. Unde nunc, adstructâ justitiæ proprietate, iterum nostra visio recurrit in partes: Utrum contra Justitiam illam impingat Pater, si ipsum plane Legitimâ privet. Vel utrum Legitimæ relictio referenda veniat ad debitum aliquod Paternum Juris Naturalis, adeò ut si illam omiserit Pater, contra ipsum Jus Naturale deliquisse intelligatur? Disputat de hocce debito Paterno ratione Legitimæ relinquendæ simul Joh. Cardin. de Lugo (d) ubi de successione liberorum in bona Paterna disquirat.

(b) *Conf. Dn. Felden ad d. l. Arist.*
(c) *Nicom. 8.*

(d) *de Just. & Jur. D. 24. Sect. 8. §. 2. num. 163.*

Ab

Ab initio discrimen fabricat inter jus divinum in specie dictum, quod voluntarium alii vocitant; e) & naturale. In priori successionem filii in bonis paternis & per consequens legitimam haud fundari. Quo nomine Gomez. vellicat ambitiosè Levit. c. 25. v. 46. & Pauli dicto ad Galat. c. 4. v. 7. inhærentem. Nec id quidem immeritò. In Levit. loco enim dicitur quidem transmittere hereditatem Parentes ad liberos ordinariè & ab intestato: & ad Galat. proclamatur filius heres; inde tamen nondum ad necessitatem quandam & jus relinquendi legitimam arguere licuerit. Sed hac de re viderint Theologi. Quoad Jus naturale iterum distinguit idè inter ipsam successionem filiorum in bona Parentum: & alimenta; successionem adscribi hæcenus Juri naturali posse; at non formaliter: alioquin spurios quoque debere succedere, qui naturam inspectâ æquè sint filii: neque enim naturam inter legitimos & illegitimos distingvere: verum potius fundamentaliter. Habere enim fundamentum in ipsa naturâ, quod filius succedat Patribus, & quod id lege præcipiatur, & etiam absque ullâ lege exequatur pater. De Jure verò naturæ esse, quod pater alimenta præbeat filiis in pueritiâ, & quando providere sibi non possunt.

Tb. XVII. Necesitatem illam præstandi alimenta adeò, magnificat Antonin. Diana verb. Pater. n. 6. ut ex Fagundez f) asserat, filium Magnatis, cui Pater non vult alimenta præbere secundum statum, posse sine mortali peccato (quam tamen distinctionem ab objecto petitam hæcenus non concedunt Pontificiis Dd. nostri Theologi) ducere uxorem divitem & nobilem, licet genere aliquantò inferiorem, invito Parente. Cum tamen aliàs peccet mortaliter, etiamsi ducat æquè nobilem, eò quod Patri non obtemperet in re gravi. Rationem tamen illam rejicit idem Diana Trullench. g) Hinc Robertus Scharrockius: h) *Imprimis tamen potissimum tenentur Parentes liberis alimenta, medicamenta & vitæ necessaria subministrare, cum aut defectu ætatis & judicii, aut infirmitatis vel morbi alicujus ratione ad seipso sustentandos non sint idonei.* i) Atque hinc esse ait Francisc. Vivius k) quod Pater denegans alimenta filio perdat patriam potestatem. Quam in rem Samuel Pufendorff l) hæc tradit: *Quod si qui tamen Parentes non*

e) *Vid. Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 1. §. 15. & ibi Magnif. Dn. Ziegl.*

f) *in Dec. tom.*

1. lib. 4. c. 4. n. 5.

g) *in Decal.*

tom. 1. L. 4. c. 1. n. 13.

h) *de Offic. secund. Jus nat.*

cap. 7. n. 4. §. 2.

i) *Conf. Fernand. Vasqu.*

& Illustr. Contr.

cap. 106. n. 20. seqq.

k) *Decis. L. 2. Dec. 322.*

l) *in Elem. Jurispr. Univers.*

so. L. 2. obs. 5. n. 10.

m) l. qvi liberis
de R. N. l. ult.
C. de Dot.
prom. Ferdin.
de Castro Pa-
lao Oper. Mor.
part. 5. Tr. 32.
Disp. 9. punct.
4. §. 1. n. 1.
n) de Just. &
Jur. Tract. 2.
Disp. 273. per
L. Si totas C. de
Inoff. don.
o) L. 2. de J. B.
& P. c. 7. n. 4.
p) cit. sup. loc.

q) Theol. Mo-
ral. l. 5. tr. 10.
p. 3. c. 5. n. 8.

solum lege natura violata sed & communi affectu superato prolem alere nolint, & eam projiciant, illi nihil in eandem amplius Juris prætendere queunt, nec ab ipsa ullum amplius officium velut Parenti debitum exigere. Quinimò & ex alimentorum debito defluere videtur necessitas dotandi filiam. m) Quod tamen quomodo accipiendum sit, infra dispiciemus, tum quoque donationem in deminutionem Legitimæ factam revocandam esse, quatenus inofficiosa sit, inde deducit Ludov. Molin. n)

Th. XIIIX. Atque inde fortè inductus Grotius o) persuasissimum sibi habet, naturali quidem rationi satis esse consentaneum, ut à Parentibus alantur liberi. Qui tamen simul distinctione adstruit inter debitum strictè sumtum pro obligatione, quam Jus expletorium inducit: & laxius pro eo, quod nisi inhonestè omitti non potest. Non ex priori sed posteriori fonte honestatem proficisci. Hinc Cl. Dn. Felden ad d. l. Grotii illum fontem per justum universale circumscribit, ratione hâc additâ, quod omnia animalia à naturâ ducantur ad alendum id, quod procrearunt, quem naturæ impulsu homines etiam excipiant: necesse ergò esse, quod nimis avarus sit, qui non det, ad quod dandum ipsa natura eum trahat & impellat. Alimenta igitur suggerenda proli esse contendit Sam. Pufendorf. p) quo usque sese ipsa commodè possit alere. Atque in eo ipso simul potissimam partem paterni officii verti, unde maxima gratitudinis necessitas liberis incumbat. Quippe non tam nudam generationem, quæ molestiâ careat, aut propriâ voluptate pensetur, Parentes imputare liberis posse, quâ laboriosam juxta & fidæ sollicitudinis plenam educationem, quâ pro cujusque facultate in membra societati humanæ utilia formentur. Interim accuratè monet Magnif. Dn. ZIEGLERUS, Præceptor noster venerandus, ad d. l. Grotii honestatem illam cum vinculo arctiori esse accipiendam: cum non ex honestate tantum, sed ex ipsa quoque necessitate naturæ Parentes liberis suis debeant alimenta, & contra naturales stimulos, contra Jus naturale, contra pietatem facere qui denegat. Paul. Laymann. q) nam & obligationem ad *alimento* ex honestate esse, & tamen non posse negari, quin arctius obligentur Parentes ad alendos liberos, quam ad *alimento*

in Jure beneficium. Quam necessitatem tanti aestimat Paulus r) ut necare eum non tantum, qui partum praefocet, sed & qui alimonia deneget, severè statuat. Tum verò circa Feldianam rationem illud incidit, & animalia quidem bruta pullis, & homines natis alimenta debere: ita enim ex mari delphinum pisciumque, ex avibus columbarum, aqvilarum, cornicum, gallinarum, ex quadrupedibus feris leonarum, pantherarum, tigridum laudari exempla possent: f) sed illa ad hæc præstanda naturæ instinctu ferri: hos præter naturam ratione quoque eò adduci.

Tb. XIX. Antequam provehamur ulterius operæ, ut opinor, pretium fuerit, delineare paucis, quid alimentorum nomine veniat. Diffinit eadem in genere Arnisæus t) quòd sint omnia onera & vitæ necessitates. u) Eadem fermè conceptis verbis apud Wes. w) hæc reperiuntur: Victus continentur, quæ esui potuique cultuique corporis, quæ ad vivendum homini necessaria sunt, vestem quoque victus habere vicem Labeo ait. Et cætera, quibus tuendi curandive corporis nostri gratiâ utimur eâ appellatione significantur. x) Quin imò alimentorum vocabulo non solum cibaria sive esus & potus atque vestitus; sed & habitatio continentur & bona institutio, ut civitati aliquando inservire possit alumnus. y) Alendi verò liberi sunt pro modo facultatum patrum. z) Quamvis verò Pater ad omnia, quæ ad vitam & disciplinam pertinent, teneatur, a) non tamen ad sumtus studiorum gratiâ faciendos strictè loquendo tenetur, pietas tamen aliud exigere videbatur. b)

Tb. XX. In victum ergò stabit ex ipso Jure naturali, adeoque Justitia propriè dictâ ad alimenta præstanda liberis adstringi parentes. Unde dubium non proletarium subnascitur, num justè per exheredationem legitimâ priventur liberi, cum ita simul, & alimentorum præsiidiis defraudentur? Seriò enim profliganda est illorum sententia, qui sibi existimant, quod Pater exheredem scripturus filium alimenta eidem relinquere teneatur. Quorsum inclinare Scharok c) videtur, ubi hæc spargit: Propterea Patres liberos non nisi ex gravissimis causis exheredare potuerunt, d) exhereditatis verò aliquid relinquere debuerunt. Quid enim aliud

r) *in l. 4. de agn. & alen. lib.*

f) *Vid. Cl. Dn. Bœcler. ad d. l. Grot.*

t) *Relect. Pol. P. I. c. 5.*

u) *l. 5. §. Si Patrens de Agn. Lib. I. Verbum victus 43. de V. S. l. Legatis L. fin. de alim. leg.*

w) *t. de agn. l. n. 4. d. l. 43. seqq.*

x) *Conf. Wisenb. ad d. l. 43.*

y) *Conf. Perez. in Cod. de Alen. Lib. n. 20.*

z) *Vid. Brunnem. ad l. 3. 4. C. d. t.*

a) *l. 5. §. 12. ff. eod.*

b) *l. 6. seq. de alim. vel. cib. leg.*

c) *l. 4. ubi pup. e. duc. deb. l. 6. §.*

d) *de Carbon. E. dict. Dn. Struv*

Exerc. 30. th. 77

est

c) *cit. supr. loc.*
n. 3. lit. X.

d) *Nov. 115. c. 3.*

e) *Vinn. in*
Pref. r. Inst. de
Exher. lib.

f) *§. II. Inst. de*
J. N. G. & C.

g) *Vid. Grot.*
cit. supr. loco.

h) *l. 6. de J.*
& J.

est exheredare, quàm eum, qui alioquin heres futurus erat, ab hereditate repellere? e) Quinimò tam enormia delicta filii exheredatione digni Jure novo existimantur, ut & alimentis privandus omninò videatur. Atqui verò Juris Naturalis septa transfiliisse nomothesia Justiniana videbatur, adimens liberis certis casibus in Nov. 115. c. 3. expressis planè Legitimam & per hanc simul & alimenta: cum tamen idem Jus Naturæ, quo hæc debentur, immutabile existat. f) Cum igitur hoc migrare nemini detur, & verò eodem debeantur alimenta, nec Legitimâ orbandi filii videbantur, cum illa huic simul insint.

Tb. XXI. Sed verò res tota ita habet: Alimenta liberis à Parentibus, jubente omninò Jure Naturali præstanda veniunt. Et quidem propter periculum vitæ liberorum, & quod qui det formam, debeat etiam dare ea, quæ ad eam sunt necessaria. g) Quæ rationes exigunt, ut & moriturus Pater cogatur relinquere filio alimenta, ne post mortem ipsius omni destitutus auxilio, vitæ discrimina incurrat. Nec hæctenus mecum satis cogito, quâ fronte hic non nemo vellicare possit Grotium, quasi posterior ratio, generalis nempe, non satis stringat: siquidem ex Philosopho deprompsit eam Grotius; sed pro præsentis themate ad hypothesin translata hunc sensum infert: Pater cum dederit animam ac vitam filio, omninò etiam tenetur suppeditare ea, quæ ad illam sustentandam faciunt, & ita cum maximè alimenta. Quæ ipsa Jus quæsitum in bonis Parentum faciunt liberis, ut hi in totum à successione illorum excludi haudquaquam possint. Cum verò nihil certi determinaverit hic Jus Naturæ, Civile ad certam quantitatem sive Legitimam successionis Jus reduxit. Ubi enim ob suam generalitatem deficit Jus Naturæ Civili suppletur h) Scitum ergò Juris Naturæ est: Liberis aliquid ex hereditate Parentum est relinquendum. Scitum Civile in priori fundatum: Liberis Legitima est relinquenda. Atq; ita Legitima rectè dicitur Juris Naturæ materialiter ac fundamentaliter.

Tb. XXII. At verò quia Legitima Juris Naturalis robur participat solùm propter alimentorum necessitatem, videbatur eadem saltem relinquenda indigis liberis, non in lautâ & auctâ parte

parte constitutis: cessante enim ratione legis, cessat & ipsa lex. Atque exhinc opinatur Grotius i) Legitimam humanis legibus tolli haud posse, quatenus scilicet in Legitima insint alimenta necessaria. Nam quod supra sit, tolli posse, non repugnante natura. Interim si sanctionem Legis Civilis expendamus, certum est, textum generaliter satis in Nov. 115. c. 3. loqui adeoq; non distingvere, utrum liberi pauperes sint, an v. divites. Nam illa in princ. ita habet: Sancimus igitur non licere penitus Patri vel Matri vel Avo vel Avia, Proavo vel Proavia suum filium vel filiam vel caeteros liberos praeterire aut exheredes facere in suo testamento, nec si per quamlibet donationem, vel legatum vel fideicommissum vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem, nisi probabuntur ingrati. Nulla igitur hic distinctio inter liberos cernitur. Id quod argumento inservit, liberis tam divitibus quam pauperibus relinqvendam Legitimam esse. Ubi eniur textus generaliter loquitur & capere eundem generaliter, nobis haec tenus incumbit. Tum vero adeo tenerè cupit liberis rextus, ut nec titulo particulari amplius liceat Parentibus conferre testamento Legitimam liberis, sed honorabilis institutionis titulus ubiqve & in omnibus conspici debeat. Ut inde haud vanè cõcludatur, etiamsi locuples filius fuerit, tamen eundem universalem titulum adhuc desiderari, nec sufficere particularem. Quæ omnia ab ipso Jure Naturali aliena haudquaquam censenda sunt. Non enim unicè & solummodò alimenta illud injungit Parentibus; sed naturalem simul amorem, cujus documentum haud vulgare ponitur, si liberis à Parentibus aliquid relinqvatur. Adeo ut & hoc respectu Legitima Juri Naturæ haud inconcinnè adscribi possit.

i) *cit. sup. loco.*

Tb. XXIII. Sed verò filiam locupletem dotare haudquaquam Parens k) ut & nec alimenta præstare eidem, tenetur alibi l) n. hæc leguntur: Ipsum autem filium vel filiam, filios vel filias & deinceps alere Patri necesse est, non propter hereditates sed propter ipsam naturam & leges quæ & à Parentibus alendos esse liberos imperaverunt & ab ipsis liberis Parentes, si inopia ex utraque parte vertitur. m)

k) *arg. l. 2. de Jur. Dot. I. fin. C. de Dot. prom. l. mulier 22. §. pen. ad SC. Treb.*
 l) *l. fin. §. Ipsum 15. C. de Bon. quæ lib.*
 m) *Gonf. Dn. Brunnem. ad hunc text.*

C

dote

dote ad alimenta, ita ab utrisque ad Legitimam fallit eximiè se-
quela: illatio enim à separatis est. Dos enim ideò datur, ut eò fa-
cilius maritos inveniant uxores, alimenta, ne careant vitæ neces-
sariis charissima pignora, quæ rationes cum deficient in divitibus
abs se filiabus, Parentis quoque deficit debitum. Legitima verò
simul ad declarandum affectum est relinquenda, cum filiorum in-
teresse censeatur scire, Parentes decessuros ipsis optimè cupiisse &
suâ benedictione valedixisse. Quæ de efficacius constare vix po-
terit, quam si voluntatem propensam relictione portionis heredi-
tariæ reddiderint testatorem.

Tb. XXIII. Remanebit igitur, Jure Naturali aliquid li-
beris affectus testandi relinquendum esse: id quod Jure Civili uti
vidimus, ad Legitimam redactum est. Undè porrò illud conse-
crarium fuit, Jure Civili vel statuto effici haud posse, ut planè ad
nihil quicquam liberis relinquendum obligentur Parentes: cum
ita ipsa charitas naturalis, certè ejus documentum ponendi occa-
siones, præscindantur. Et huc repetendum illud est n) Pa-
triam Potestatem in pietate magis quam atrocitate consistere de-
bere. Est quidem Civili Majestati integrum, moderari & limitare
Patriæ potestatis incunabula: at debita naturalia in illa socie-
tate tollere, haudquaquam. o)

n) l. 5. ad
L. Pomp. de
Parric.

o) arg. §. 3. Inst.
de leg. agn. tut.
& §. pen. de
Cap. Dim.

p) §. II. Inst. de
J. N. G. & C.
q) Vid. Lindov.
Molin. de J. &
J. Tr. 5. Disp.
49. & 57.

Tb. XXV. Jam evoluta & excussa ad oculum se sistit du-
bitandi ratio quoad Legitimæ privationem: eam sc. quia Jure
Naturali debita esse intelligitur, injustè ob 14. illas causas aucto-
ritate Legum Civilium adimi à Parentibus ipsis Liberis videri:
cum Jus Naturale immutari se haud patiatur. (p) Quod eò exten-
dunt Moralium Dd. ut ne à DEO quidem refigi & relaxari illud
posse, asseverent. (q) Sicut enim DEUS citra blasphemiam non
sanctus cogitari haud potest, ita nec injustus. Hinc Grotius huic
themati superaddit, quod quamvis immensa sit DEI potentia di-
ci tamen quædam posse, ad quæ se illa non extendat, quia quæ ita
dicantur, dicantur tantum, sensum autem qui rem exprimat, nul-
lum habere, sed sibi ipsis repugnare. Sicut ergò quo minus bis
duo sint quatuor efficere DEUS non possit: ita ne hoc quidem,
ut quod intrinseca ratione malum est, malum haud sit. Quam
illu-

illustrationem à non nemine laceffi, mirari subit, quia non phal-
langem suarum rationum in ea ponit Grotius; sed majoris lucis
inducendæ attexuit. Omne verò simile etiam aliquid dissimili-
tudinis præ se ferre amat. Nec eo nomine rejiciendum illud erat,
quod quicquid de numeris fuerit propositum, versetur in materia
necessaria: at justum in materia contingenti. Nam & justum
illud cum maximè respectu DEI perpetuum & immutabile est,
licet in singularibus quandoque migret, quod modò exputabitur.
Unde sublimi spiritu commentatur Magnif. noster Zieglerus ad
d.l. Grotii, quædam justa esse & dici, quæ DEUS aliter velle non
possit, quæque adeò sua justitia intrinseca omnem voluntatem
DEI liberam antevertant. Quæ igitur adeò perpetua sunt, ut
DEUS aliter in iis velle non possit, utique non malè conferentur
naturalibus, quæ propter sensum nostrum aliter cogitari ne-
queunt.

Th. XXVI. Jam decisionis cardinem ingrediamur, de-
monstraturi, per ademptionem Legitimæ in præscriptis à Jure Ci-
vili casibus nihil quicquam deliquisse Legislatores, nec peccare,
ut nunc quidem est, Parentes exheredationem secundum illam
formam suscipientes. Nam hoc ultimum ex primo dimanat:
cum ad legis injustæ observantiam nemo teneatur. Nimirum
est quidem Jus Naturale in se planè immutabile, mutari tamen
quandoque opinione hominum videtur: ita, quotiescunque ad-
ditur aliquid eidem, (r) utpote 7. testes ad testamentum esse neces-
sarios: cum aliàs duo suffecturi viderentur. Quod argumentum
tanti æstimat Gabr. Vasquez. (s) ut etiam conscientiam inde affici
existimet. Porro haud rarò sui vim perdere naturalia scita viden-
tur in reb⁹ ipsis, ut habet Dominicus Soto, (t) quando nempe pro-
pter singularem circumstantiam eximitur objectum aliquod
classi eorum, quæ legis tenor dicitur. Tunc verò non Jus muta-
tur Naturale, sed genuinum ejus objectum cum deficiat, & ipsius
dispositio suspenditur. Id quod lumen rectæ rationis, à qua aliàs
idem dependet, suggerit, & sine circumstantiis ejusdem applica-
tionem fieri commodè haud posse, prudenter colligit atque con-
cludit. Hinc pleno alveo distinctio decurrit inter Jus Naturale

(r) l. 6. de J. & J.
(s) Opusc. mor.
de Test. c. 3. n. 1.
(t) de Just. & J.
lib. 1. quæst. 4.
art. ult.

(u) *Conf. Hug. de Roy de eo quod just. est lib. 3. tit. 4. & Ludov. Molin. tom. 1. Tr. 1. Disp. 4.*

(y) *l. 3. de J. & J. l. scientiam 45. §. 4. ad L. Aquil. conf. Wissenb. ad ff. Disp. 3. th. 8. seq.*
(x) *Conf. Gail. Tr. de Pac. Pub. c. 16.*

(y) *l. bona fides 31. ff. depos.*
(z) *Vid. Bus. ad d. L. 31. §. 1. 15. eod.*

in thesi spectatum: & in hypothese ratione septem Moralium circumstantiarum, quo modo sub mutationis aleam cadit. (u) At nec tunc quidem, si accuratè ponas calculum, mutari: quin potius deficere & de emergentibus illis casibus non disponere dicetur Jus naturale.

Th. XXVII. Allubescit rem exemplis, uno vel altero ad umbrare, ex ipso Jure Civili depromptis. Præceptum naturale esse; ne occidas, fugere neminem potest. At qui verò ei, qui ab alio oppressus indiscrimine vitæ constitutus est, ad propriam salutem conservandam, ad orientem tandem interficiendi facultatem nemothesia Justinianea facit. (y) Cujus duas causas adducit Ictus in textu, alteram in corporis propria tutela, alteram in cognatione, quæ ex natura inter homines intercedit, fundatam. (x) Dum enim illam aliquis infrunitus susque deque habens, depositam humanitate, in alterius necem deproperat, violat Juris Naturalis præcepta & in truculentam bestiam quasi degener Juris Naturalis communionem ipse tollit & dirimit. Ita Juris Naturalis quoque scitum est, ut, quod nostræ fidei commissum fuit, repositi restituatur; deportato tamen bona deposita à latrone spolia restitui prohibentur. (y) Qui textus circumstantiarum virtutes commemorat, restitutionem rei depositæ remorantium. (z)

Th. XXIX. Perinde igitur & in nostro casu, ut ita ad hypothese descendamus, res erit comparata. Jus Naturale quidem dicitur liberis aliquid & mediante Jure Civili eisdem Legitimam à Parentibus relinquendam esse; modo non contra obsequia & debita filialia peccaverint. Munivit societatem naturalem Paternam abs se jure simul DEUS Opt. Max., sanctissimo & immutabili. Quod quidem filiis injungit reverentiam & obsequium: Parentibus verò illorum sustentationem & dilectionem. Quod si ergo contra sui conscientiam, contra Jus fasque despiciunt habentes genitores liberi, injuriis ipsos proscindunt, vincula Juris Naturalis turpiter rupere: ut inniti deinceps societatis Juri vix possint, quod tam protervè impugnare laborarunt. Indignus enim suo Jure censetur esse, qui proprio eoque piaculari facto se ipsum eodem reddidit indignum. Et sicut ut homines amplius tractan-

tractandi non sunt, qui humanitatem exuisse censentur, sic
nec ut filii, qui filialem reverentiam dediscunt, foedè atque
abjiciunt. Benè & scitè Carolus Molinaeus: (a) *Recta*

(a) *in addit.
ad Decium in
l. 8. ff. de R. J.*

*ratio dictat alendos Liberos, Jus Naturæ
obligat: at contra data justa causa denegan-
di, nec recta ratio, nec Jus Naturæ obligat.*

Et Rob. Scharock: (b) *Limitatio Legis Naturæ de
prolis cura scilicet, nullam constare obligatio-
nem ad conferenda in eos beneficia, qui erga
Parentes ingrati, vel moribus generaliter*

(b) *de Offic.
Sec. Jus Nat.
c. 7. n. 3.*

profligatis evaserunt. Proinde sequentia duo bro-
cardica probè veniunt notanda: Filiis, ut filios se gerentibus,
Legitima Jure Naturali à Parentibus debetur adeoque nec
adimi potest. Et exadverso: Filiis filialem observantiam
suscipere deique habentibus à Parentibus illa haud debetur. Et
hoc est, quod in d. Nov. 115. c. 3. insequitur: nisi probabuntur
ingrati.

Th. XXIX. Jam verò porrò in disceptationem succe-
dit, quoniam Liberi & quibus factis ipsi ita venisse contra
officium intelligantur, ut sui nominis etiam censeantur fecisse
jacturam. Atque hoc ipsum cum Jure Naturæ non deprehen-
deretur determinatum, manum admoverunt huic negotio
Legislatores, ac ad certum censum redegerunt easdem causas.
Hinc in nostra Nov. 116. c. 3. porrò insequitur: Sed quia causas,
ex quibus ingrati Liberi debeant judicari in diversis legibus
dispersas & non aperte declaratas invenimus: quarum aliquæ
nec dignæ nobis ad ingratitudinem visæ sunt: aliquæ verò
cum essent dignæ, prætermittæ sunt: ideò necessarium esse
perspeximus, eas nominatim præsentis lege comprehendere;

ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitude causas apponere, nisi quæ in hujus Constitutionis serie continentur.

Tb. XXX. Quibus Novellæ suæ verbis Sacratissimus Imperator ab initio quidem causam impellentem suæ Constitutionis intexit: quæ erat dispersio causarum in quam plurimis Legibus. Unde simul haud obscure colligere est, omnino easdem causas Legibus fuisse definiendas. Sed nec sine disceptatione stetit hanc determinationem; dum de pondere & dignitate causarum illarum subinde inter se dissidenti pugna contenderint Jurisconsulti. Eas verò se præclare nominatim expressisse & in certum numerum coëgisisse. Atque ita supplevit nomothetæ Civilis officium [juris naturalis sancita], quatenus hoc propter suam generalitatem deficiebat. Nimirum cum ex ipsius Juris Naturalis rudimentis & fundamentis gravis injuria opinionem liberorum exulare faciat, species ejusdem compilavit Noster, exheredatione cum maximè dignas. Nec dubitare habebit quisquam, quin omnes & singulæ in nostra Nov. 115. cap. 3. expressæ causæ sint pro prægnantibus satis & dignissimis habendæ. Quas quidem decurrere in præsens non vacat, nec pagellarum, intra quas nos coarctavimus, angustia permittit. Sufficiat nobis demonstrasse, licere Parentibus salvâ conscientiam exheredare liberos justis de causis & harum determinationem arbitrio Legumlatorum in Republica esse relictam. Sed & memoratas in Novella ita esse comparatas, ne quidem ambigendum erat aut disputandum curiosè. Nam cum Jus Naturale ipsum non disertè communicaverit rectæ rationis dictamini causas exheredatione dignas, vix definitio auctoritate publicâ facta hic poterit lacesse vel turbari: siquidem & alias in iis casibus, ubi aperta est Legislatoris voluntas, servanda lex fuerit, utut dura atq; aspera visa, multò magis ergò id in arbitrariis determinationibus procedet. Militat enim optima

&c

& eximia planè pro Legislatore præsumtio, ipsum sine iusta causa constituisse nihil quicquam. Et quàm sæpè nos latet Legis ratio, quæ apud nomothetam utramque fecit paginam? Hinc Vinnius c) hæc habet: *Scilicet hoc inter homines Lex affert, ut habeamus, quod in iudicando sequamur, quamvis fortè id, quod sequimur, altero quod non sequimur, non sit melius & æquius.* Ut & in L. Et ideò 21. de LL. hæc scripta reperiuntur: *Iis rebus enim & negotiis aliquid certi definiendum est, neque de Legibus, quarum certa est sententia, disputari oportet: cum alioquin multa eaq; certissima subverti possent.* Vid. Dn. Stru. d) secus comparatum esse in iis videtur; si quæ Leges ipsum Naturale Jus impugnent evertantque. Vel ut Svarez e) adstruit, illæ sint tyrannicæ vel iniquæ notoriè. Quam in rem ita ratiocinatur Domin. Soto: f) *Lex humana iniusta non obligat in foro conscientie. Conclusio ex superioribus fit notissima. Nam Lex iniusta, cum recta non sit, regula esse nequit; atque adeò neque Lex: quæ autem non est Lex, obligat neminem.*

c) in Quest.
Sel. L. 1. c. 2.

d) Exerc. 2.
th. 47.

e) de leg. L. 3.
c. 21.

f) cit. sup. loc.
L. 1. quest. 6.
art. 4. fol. 13.

Tb. XXXI.

Tb. XXXI. Cæterùm usquequaqve mirificè Justitiam enumeratarum causarum in Nov. 115. c. 3. commendat & evidentiore reddidit, quod in singulis cernatur grande factum filii, ex quo contemptui habuisse filialem observantiam, haud frustrà censi queat. Unde in proclivi est, liberos, qui peccaverunt nihil, ne utiqvam etiam exheredari posse. Interim verò hac ratione iniquitatis cujusdam insimulabitur antiqva exheredandi ratio, qva immeritos etiam liberos, quin imò & posthumos arcere à sua hereditate integrum fuit Parentibus. Hinc alicubi g) ita insit Imperator: Posthumi quoq; liberi vel heredes institui debent vel exheredari. Jam si liberis debetur Legitima Jure Naturæ, quamdiu suum officium fecerint vel certè contra illud non impegerint, qui factum fuit, quod & eos nihilominus exheredandi liberam dederit facultatem Parentibus Jus Civile vetustius? Possemus declinare hujus dubii discussionem, eò, quod illud rigidius visum punctum in sæpiùs laudata Novella nostra correctum sistatur. Non enim sapit Andreæ Alciati sententia h) statuentis seriò, adhuc post Novellam nostram ipso quidem Jure valere Posthumi exheredationem, licet inofficiosi querela expugnari possit. Nam in dicta Novella prohibentur Parentes liberos suos quoscunqve, adeòqve etiam posthumos exheredare, nisi nominatim causa adjecta. Jam quicquid prædicatur de genere, prædicandum est etiam de specie quavis. Nunc posthumi sub nomine liberorum includuntur, i) quidni ergò etiam de his locutus censetur Imperator? k) Quid? quod elogium sive nominatim adjecta causa in vitio posita sit, & hoc verò affricari posthumo haudquaquam poterit arg. l. si quis 33. §. 1. C. de inoff. testam. Utique igitur ejusmodi exheredationis species tanquam contra leges facta pro nulla habebitur, arg. l. 5. C. de LL. Quicquid ejus sit, qvia antiquitatis nihil ignorandum arg. §. 1. Instit. de Testam. ordin. etiam ejus rationes sustineri ac defendi, quantum ejus fieri potest, debent.

g) *Vid. l. 30. ff. de Lib. & post. bum. her. instit. l. exher. §. 1. J. de Exher. Lib.*

h) *Lib. 4. Paradox. cap. 10.*

i) *§. fin. qui test. tut. dar. pos. l. Nomen filiarum. 164. r. V. S.*

k) *Conf. Ungew. Exerc. 8. §. 7.*

Tb. XXXII.

Tb. XXXII. Plurimi rigore patriæ potestatis, qua
valuerint in suos liberos Jure Roman. Parentes, illam libe-
ram exheredandi facultatem sufficienter excusari sibi per-
suasissimum habent. Unde huic dubio moto Paulus Voët. l) hunc in modum satisfacere allaborat: Licet justâ de cau-
sâ exheredes non sint futuri (posthumi) quod ingratitude-
nis vera causa non cadat in posthumos, nihilominus propter
Jus patriæ potestatis exheredari potuerunt. Ut tamen per
querelam testamentum rumpatur, sicuti natis exheredatis
eo remedio rescinditur. §. 1. hic. Etenim ingens admodum
patriæ potestatis jus fuisse vel ex §. 2. Inst. de P. P. constare
poterat, ubi ejusmodi potestas Parentibus in liberos attri-
buitur apud Romanos, qualem nulli alii homines habue-
rint. Quæ & ad Jus vitæ & necis porigitur in l. ii. de lib.
& Posthum. m) Digna, quæ in hanc rem transcribantur
Arnoldi Vinnii ad paragr. 2. Institut. de P. P. verba sunt:

l) in Comm. ad
Inst. tit. de Ex-
her. Lib. §. 1.
n. 2.

m) Conf. l. 22.
§. 4. ad L. Jul.
de Adult.

*At Romanorum in liberos potestas neque fi-
nem habuit neque modum. Non finem,
quia in omne vitæ filii tempus producta fuit,
etiamsi summos honores gesisset, & laudem
singularis erga Rempublicam studii consecu-
tus esset. Non modum, quia immensa fuit
& planè deæ omnî. Nam primum ex Lege Ro-
muli, repetita postea & confirmata à Decem-
viris, filiusfam. in Patris sui manu potesta-
te mancipioq; erat, habebatq; Pater in eum
Jus vitæ & necis terq; venundandi potesta-
tem.*

D

Tb. XXXIII.

Tb. XXXIII. Dicit illa ratio quidem proximam causam exheredationis liberorum, cum natorum, tum posthumorum; at si ulterius inquiramus, nova opus fuerit, qua Jus Civile in illo rigore introducendo defendi possit, ut prima vix, quod mihi puto, suffecerit. Subinde enim obstinatio aliquis urgebit male Jus Civile ejusmodi rigorem tolerasse non tantum, sed permisisse etiam & induxisse. Relinquo hoc in passu liberum suum cuique judicium; mihi vero sequens temperamentum arrisit hactenus. Concedebat DEUS Ter. Opt. Max. post lapsum deplorandum Adamo imperium in seductricem Evam & mediante hac in natos ex ipsa susceptos. Atque hinc imperium maritale & Paternum. Quæ ipsa etiam Patresfam. se reges in uxores atque liberos exercebant. Postquam vero multitudine jam sua laborabant familiæ, præsentiori regimine opus videbatur, quo ipsa etiam familiarum capita in ordinem redigi possent. Tum vero Majestatis axioma à coelo demissum & quidem excellentiori potestate, ut simul inferiora illa imperia moderandi & certis limitibus circumscribendi vel in sua naturalitate relinquendi arbitrium liberum obtineret. Id quod etiam usu venisse in singulis Rebuspub. ex facili deprehendimus. In quibusdam ergo & Patria potestas sibi relicta in quibusdam temperata, in aliis publico regimine maximam partem circumscripta legitur. In Romanorum Republica quoque non unum habuit fatum Patria potestas. Ab initio enim summa illa fuit & secundum sua incunabula absolutior, unde etiam rigorosa proclamatur. Atque tum temporis etiam licuit Patri exheredare filios etiam sine causa nominatim adjecta. Sicut enim ipsi Patresfam: extra Rempub. neminem habebant superiorem in terris, qui hæc talia ipsis prohibere valuisset: ita etiam illud Jus in eodem tenore voluere pro manere Romani, ut eodem majori libertate Cives gaudere viderentur. Indè v. nihil iniquitatis habuisse & tum temporis Jus Romanum rectè dicitur. Neque enim illud jus sit Parentes exheredes scribere liberos jam natos

natos vel etiam posthumos quin potius Conscientiæ Paren-
tum reliquit, quid in hoc casu facere malint. Adeòque quam
hic inducere potuisset Jus Civile determinationem arbitrio
Parentum adhuc relinquebat, idque ratum futurum pronun-
tiabat. Successu verò temporis Majestatis possessores exerci-
tium illud Patriæ potestatis mirum in modum transforma-
runt & ita exheredandi facultatem antè diffusam coarctarunt
admodum. Ut hodiè non nisi maleferiati liberi pronuntiari
exheredes testamento possint.

Th. XXXIV. Præter hæc advertendum sedulo,
& jure veteri in promptu fuisse aliquod remedium exhereda-
tis sine causâ liberis, querelam nempe inofficiosi testamenti,
quam contra voluntatem Patris agere illi & obtinere potue-
rint. n) Et hoc est, quod alibi o) inspergit, liberos judicio
Parentis nisi meritis de causis summoventi à successione Pa-
rentis haud posse. Quorsum & Imperator noster p) colli-
masse censetur, quando ingratitude causas in diversis legi-
bus dispersas & non apertè declaratas memorat. Quæ res
argumento inservit, jure civili antiquo etiam exheredan-
di arbitrium non fuisse per omnia abso-
lutissimum.

n) *pr. J. de in-
off. test. L. 3. 4.
ff. eod.*

o) *in L. 7. pr.
de Bon. damn.*

p) *in Nov. 115.
c. 3.*

TANTUM.

Ad Generosum & Nobiliss.

DN. CAROLUM AUGUSTUM

à Neitzschitz /

Fautorem amicissimum.

Nunc iterum prodit tua virtus, *optime*
Neitzschitz,
Nobile demonstrans omnibus inge-
nium. *Quam*

Quàm solers etenim *Themidis* tu sacra fre-
quentes,

Quod jam pertractas thema docere po-
test.

Scilicet ingenitus generoso sanguine natis
Ad quæcunqve sient ardua magnus a-
mor.

Sed verò ut fortes, *Martis* qui castra seqvun-
tur,

Non sua destituunt præmia grata vi-
ros,

Sic quoqve qui bello perdocto fortiter in-
stas,

Non dêerunt quondam digna tropæa
Tibi,

gratulabundus dabat

PRÆSES.




05 A 1250

ULB Halle 3
003 787 885



V017






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



18.

D. B. V.

ATIO JURIDICA

DE

ATIONE

ITIMÆ,

QVAM

ONSENSU

CTORUM ORDINIS,

RÆSIDE

NOBILISSIMO

EDO *Straussen/*

J. U. L.

STUDIORUM PRO-

VITERNUM DEVENE-

RANDO,

E DISQUISITIONI

SUBJICIT

GUSTUS *von Neishchitz/*

QVES MISN.

XXXI. DECEMBR.

NO cl. lcc. LXVII.

ENCKELIANIS.

